









1723.

9. Hoffmannus, Fredericus : De fontibus medicatis amictis  
Nieribus.
10. Hoffmannus, Fredericus : De venae sectionis praedictarum adumen-  
stratiōne
11. Hohenel, Daniel Fider : De fundamētis iō Tschirn, de  
praeceptis phisico et aeratōchico gentium Sacra dissimilatio  
proposito
12. Hohenel, Dan. Fider : Dispositiones iuri iuris propositi  
in iusta fundamente ex generatione peccata et  
petenda exhibet, et lectiones suas h̄benses iudicat.
12. Hohenel, Dan. Fider : Schēmas de fundamētis appr-  
obatum, iuri iuris postūm de iusta. — au-  
t̄us — recusum objecto scriptorum Notitiae, anecdotae  
Catalogus 1731.
13. Knorr, Carolus Thorellus : De actiōibus prædictis  
iuri Romani in simplicem, triplicem, triplex et  
quadriplicem.
14. Knorrus, Car. Thorellus : De transactiōne non rescedente  
propter tensionem ultra dimidiam.

1 f. 6 v.



- 15<sup>a</sup> = " Lauterij, Jan. Petri : De nova scripturae et subscriptio-  
onis. 2 fasc. 1723 - 1737
16. Schlüterius, Jo. Giesbertus : De ex. quod iustum est coram  
magistris studiorum.
- 17<sup>a</sup> Schnatzenbach, Fried. : De respectu parentelar. 2 fasc.  
1723 - 1724.
18. Schneidewarus, Joan. Fridericus : De fide perfido servanda
- 19<sup>a</sup> = Thomae, Christianus : An poenae viventium, eos  
infamantes, sint absurdæ, et abrogandæ? 2 fasc.
20. Thunimigius, Ludovicus Petrus : Specimen architecturae  
ciavilis ad politicam applicatae, sistens curiosa  
principia circa aeroficia.

1723



1723,9.3

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

# FONTIBUS MEDICATIS LAVCHSTADIENSIBVS,

QUAM

DIVINI NUMINIS AUSPICIIS,  
IN ILLUSTRI FRIDERICIANA,

P RÆS I D E

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

COLLEGII MEDICI SENIORE ET h. t.  
DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU

Ad d. XII. Maj. Ann. MDCC XXIII  
PUBLICÆ MEDITATIONI EXPONET  
AUCTOR RESPONDENS,

CHRISTIANUS AUGUSTUS  
LICHENHAHN,

MED. DUCAL SAXON. DESIGNAT. ET PHYSIC.  
SORBIC. AC BITTERFELDENS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
ypis JOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typ.

DRIBINATIUS IN LIPSIAM MEDIC  
FONTRIBUS  
MEDICATO  
LACHSTADENBAS  
HOC  
IN HISTORIA LIBERGIVNA  
IN HESSEPHENMANO  
CORPUS  
PRO DOCUMENTIS GRUND  
CHRISTIANUS AUGUSTUS  
DILECTISSIMUS  
ALIAS



VIRO  
ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO,  
DOMINO  
**FRIDERICO**  
**HOFFMANNO,**  
MEDICO ET PROFESSORI  
CELEBERRIMO,  
PATRONO AC PRÆCEPTORI  
SANCTIORI CVLTU  
VENERANDO,  
EXIGVAM HANC MAGNÆ PIETATIS  
ET OBSERVANTIAE TESSERAM  
GRATO ANIMO DEVOTAQVE, MANU  
CONSECRAT  
AVCTOR RESPONDENS.

VIR ILLVSTRIS ET EXCEL-  
LENTISSIME,

PATRONE MAXIME,

FRIDERICI  
HOFFMANNI

C Onquirendæ mihi non e longinquo sunt,  
sed continenter animo meo obversantur  
hominumque oculis inhærent rationes,  
quarum momentis inducor, ut NOMINIS TUI  
longe lateque celebrati insignia huic schedio  
præfigere instituam. Septimus effluxit annus,  
ex quo addicente fortuna tuum in contuberni-  
um ita admissus sum, ut Tecum quasi in literis  
habitaverim. Hoc temporis tractu tantis tam-  
que immortalibus beneficiis me cumulasti, ut

ACTOR RESPONDENS.

nul-

5  
nullam verborum affluentiam & ubertatem in-  
veniam, quibus prolixam hanc voluntatem tuo-  
rumque in me meritorum amplitudinem satis  
exposite & ex vero prædicare possum. In his  
illud maxime mihi gloriosum duco & palmariu-  
m, quod veteranus ego disciplinæ TUÆ alu-  
mnus medicinæ præceptis abs TE tanquam in-  
tra velum innutritus fuerim, tali nimis ac  
tanto viro, qui illa in doctrina, quæ pro salu-  
te mortalium excubat, principatum tenet, &  
cujus contentissimo labore facta est quædam ad-  
mirabilis ad omnem excellentiam artis pro-  
gressio. Est etiam illud muneris tui, VIR EX-  
CELLENTISSIME, quod auspiciis tuis hacte-  
nus non sinistram manum artis operibus admo-  
verim, quorum dexterimus successus abunde  
mihi probavit, quam constantibus & mansuris  
fundamentis sustentetur TUA medendi ratio,  
cui fama benignior secundis acclamationi-  
bus applaudit, ipsaque artis inventrix, ex-  
perientia, candidissimo calculo suffragatur.

Tan-

Tantis ego obstrictus ac vadatus nominibus,  
dum jam exacto vitæ academicæ curriculo, in-  
genium, hactenus velut in umbra educatum,  
in solem ac pulverem producere aggredior, ani-  
mum induxi, hunc labore meum, quo artis  
tirocinium pono, TIBI sacrum facere, ut aliqua  
publice extaret meæ in TE voluntatis significa-  
tio. Suscipe igitur, PATRONE MAXIME,  
diducta & explanata fronte has tabulas, quas  
tanquam leye quoddam donarium in Bonæ  
Mentis fano suspendo, seruaque mihi illam ani-  
mi propensionem, quam ego quæsitissimis stu-  
diis prosequar, perque omnem ætatis flexum  
grata mente exosculabor. Deus TIBI vitam  
proroget viridemque protendat senectutem, ut  
inter catenata & contexta affluentis fortunæ  
obsequia ad immortalitatem possis procedere.  
Vale ad perpetuitatem constanter & perfruere  
gloria tua, ad posteros mansura atque ad in-  
vidiam usque felicissima. Deproperab.  
d. ix, Maj. ccccxxvii  
-naT.

## DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

FONTIBUS MEDICATIS  
LAUCHSTADIENSIBUS

## PRÆFATIO.



Um multa sunt eaque excellentis efficac*ie* rem dia, quibus fautrix natura benignissime prospexit saluti mortalium; tum vero præclarum atque ad laudem insigne momentum est, quod minerales aquæ, medica quadam facultate commendabiles, ad tuendam instaurandam que valetudinem conferunt. Quarum quum pene supervaria videatur nostra ætate commendatio, puto me laudes illas quodam velut complecti posse compendio, si aquas, ingenita virtute salutares, cum *Arnobio* ingens divinæ misericordia donum, cum *Joh. Damasceno* pulcherrimum Dei opus, ac denique cum *Cassiodoro* divinitus concessa munera appellaverim. Nam si ulla in re, certe in beatissimo aquarium mineralium proventu videor mihi conspicere luculenter expressa providentia divinæ vestigia, quæ propemodum sese in sensu ingerunt, eoque manifestius emicant, si paulo altius scrutamur harum aquarum origines, atque in earum rerum, quas ingenti apparatu intra vastissimum terræ sinum natura recondidit, contemplatione mentem animumque desfigimus. Intima sunt terræ viscera & abstrusi recessus, quos cœco lapsu flexoque in ambages itinere pervagantur aquæ, ita ut earum quedam non nisi per multi-

plices & spatioſos anfractus ſatis operoſo adſcenſu ſupra ter-  
ram eluctentur ſequē ex concluſo flumine in ſalientem venam  
aperiant. Jam animo luſtremus conſertam affluentemque me-  
tallorum ac mineralium copiam, quibus natura benignitas  
inferiores terrarum tractus ubertim ac redundanter locuple-  
tavit. Horum quædam eum in modum comparata ſunt, ut, ſi  
vel maxime aquarum mixtionem ingrederentur, nullum tamen  
corpori noſtri commodarent preſidium. Aliorum ea eſt in-  
doles, ut inſenſa qualitate magnam nobis perniſiem vel ine-  
luctabilem noxam afferant. Quod enim metallū atinet, ma-  
xime aurum, argentiū, cuprum & plumbum, res tritae ac perva-  
gatæ cognitionis eſt, cum in iſis eſſe partium rigorem ac du-  
ritiem, eaque tam firmo & ſtabili nexione inter ſe compactas co-  
hærere, ut succis corporis noſtri ſolventibus nulla ratione obe-  
diant, ſuaque indigefta, mole & inerti pondere motricibus fi-  
bris negotium facerent. Ac ſi forſan contingere, ut minera-  
les aquæ quædam metallorum ramenta, ab acri aliquo humo-  
re intra terram ſoluta, in partium ſuarum ſocietatem ad-  
mitterent, certiſſime mœtuendum eſſet, ne vim corrodentem  
ac virulentam induerent, unde promptum ac paratum foret  
corpori humano exitium. Quæ vero mineralium classem  
ducunt, antimonium, alumē, vitriolum, cobaltum, bis-  
mutum, ea pardim minus tutam facultatem habent, partim  
tam inſignite virulentā ſunt, ut ſi medicatis aquis associaren-  
tur, iplas pariter veneſioſa labē contaminarent. Hinc velut il-  
luſtri documento eluciēt mechanismus quidam inexplicabilis,  
eujus ope prouidentiſſimum Numen efficit, ut medicinales  
aqua non eas mineralium partes absorbent, quarum uſus ma-  
gno ſaret sanitatis diſpendio, ſed potius in tanta mineralium  
turba & miſcellanea farragine eas tantum delibent materias,  
quæ mitiori temperamento cum corporis noſtri natura amice-

con-

conspirant, afflita que sanitati tutissimum ferunt auxilium.  
Nam si fontium, suo genio & indele saturarium, elementa,  
a quibus velut a fonte eorum effectus desfluunt plane mi-  
rabiles, diligenter & cum cura evolvimus, sensibus admi-  
nistris licet cognoscere, illorum plerisque armatos esse sa-  
linis principiis, vigore & lenitate mixtissimis, qua vel alca-  
lini salis ingenium emulantur, vel medii similitudinem re-  
ferunt. Ad illorum familiam pertinent aquæ Bourbonen-  
ses in Galliis, Boillenses Wurtenbergicæ, Aquisgranenses,  
Buchenses, Selterana, Wildungenses, Spadanae ac Dein-  
nacenses, in quibus purum alcali dominatur, unde non so-  
lum admixto liquore acido effervescunt, sed sirupum  
quoque violarum viridi colore insciunt. Quæ vero sal  
medium alunt, quod salis Glauberiani notiorem simi-  
litudinem habet, in his excellunt Setlicenses in Bohe-  
mia & Ebshamenses in Anglia, qua neutiquam cum aci-  
dis pugnant, & sirupum violarum relinquunt integrum.  
In aliis denique sal fixum alcalinum & medium amico  
connubio junctum deprehenditur, quas inter hoc loco Ca-  
rolinas thermas, omnium facile principes nominasse sufficiat.  
Ex metallis vero cum natura delectum instituit, ut medica-  
tos fontes martiali tantum elemento impragnare soleat, id-  
que provido admodum consilio, quum in universo metal-  
lorum censu nihil sit marce ad fulciendam sanitatem ac-  
commodatus. Ferrum enim talis ingenii ac temperaturæ est,  
ut à corporis nostri menstruis expeditius solvatur, solutum-  
que languentes venas mirifice confirmet, ac fibris à natu-  
rali robore dejectis vires inspiret plane egregias. Ejusmodi  
ferratis aquis, quarum mentionem faciunt Seneca *Quæst. Na-*  
*tur. libr. 3. cap. 2.* & Plinius *Hist. Natural. Libr. 31. c. 2.* exube-  
rat

rat Italia, in quibus maxima celebritate feruntur Apontanæ, quarum pulcherrimas virtutes passim & singulariter commendat Ben. *Sylvaticus in Consil. Medic.* Habent etiam magnam utilitatis famam aquæ Avinionis & S. Cassiani Senenses, Ficuncellæ, Villenses, Pisane, & plures alia, quarum eximiæ in medendo facultates Andr. *Baccius Libr. de Ther-*  
*mis* suse commemorat. Neque nostras regiones talibus ferratis aquis natura defraudavit; non enim extra saram sunt fontes Bebrani in Thuringia, Freyenwaldenses in Marchia, & Radebergenses prope Dresdam, qui virtutis suæ causam atque originem pariter ad martialem profapiam re-  
ferunt. His tamen virtutis præstantia longe superiores mihi videntur, qui in vicino Lauchstadii oppido vena satis bénigna securiunt. Quorum mirabilis ad varias passiones sa-  
nandas effloacia quam jam inde à multo tempore non pau-  
cis iisque insignibus exemplis notata sit, nec vero autores extare videam satis idoneos, qui de ipsorum facultatibus ali-  
quid præclari literis consignaverint, opera pretium me fa-  
cturum puto, si operaticem horum fontium materiam pau-  
lo per vestigatus inquire corumque amplissimos usus in-  
telligenter & explanante declarare insitum. Quod quidem  
consilium quemadmodum ad juvandam augendamque sa-  
lutei publicam unice collineat; ita supremum fontium sa-  
lutarium aquilegem & architectum dé votissimis precibus  
veneror, velit hunc laborem meum suo fortunare auxilio,  
ut ex prospero ejus successu laborantium plurimi fructus  
uberrimos consequantur.

§. 1.

## §. I.

Xposituro mihi de eximiis, quibus Lauchstadienses aquae commendari possunt, virtutibus, rerum di- cendarum ordo exigere videtur, ut ante omnia breviter strictimque designem primas earum origi- nes, simulque succinctam soli natralis delineationem exhibeam. Quo quidem instituto illud conse qui me posse ar- bitror, ut non alios solum uberiori intelligentia instruam, sed etiam labor meus ad reliqua pertexenda sepe expeditius provehat. Quum enim fontium plerique, iniusta quadam vi salutarium, medicatricem suam matrem maxima ex parte ab ipsa terra recipient, quam occulto meatu proxime perlungit, sane non dubitandum est, quin ad faciendam conjecturam probabilem de ingenitis iplorum facultatibus plurimum valeat exactior parrisi soli cognitio. Patria ob- tigit fontibus nostris Lauchstadium, mediocre oppidum, situm in Misnia, quod Serenissimus Princeps Saxo - Mar- tisburgensis jure hereditario possidet. Est quidem non ea- lius civitatis nobilitas, ut cum vicinarum urbium, Li- psiae, Hale, Martisburgi, Leucopetra, Questorti, a quibus aliquor milliarium intervallo distat, celebritate vel ampli- tudine conserri possit; non tamen prorsus ignobile oppi- dum est, quippe quod jam inde a multo tempore per ali- quot annorum processus magis magisque insignivit fon- tum suorum salubritas. Est insuper abunde instructum ad siccias, ut peregrinos, qui ad redintegrandam sanita- tem eis conferunt, sat commodis hospitiis possit ex- cipere. Aer ibi spirat saluberrimus, quia liberiores ventorum perflatius habet; non deest loco amoenitas, ægro- rum animis resciendi idonea, nec felix gleba desituit, cuius tanta sape ubertas est, ut liberali frugum proventu vi-

cina-

cinarum urbium inopiam sublever. Etsi autem ab ipso natali solo vel nulla accederet fontibus nostris commendatio, nescio tamen, an hoc aliquid ipsorum dignitati detraheret. Nam si fontes respicimus, medica virtute celebratissimos, atque eos præcipue, quorum supra mentionem feci, curiosius animadvertere licet, quod bona eorum pars non circa amplissimas civitates, sed in vili & contento solo proveniat. Atque ideo tantum abest, ut a locorum, in quibus nascuntur, dignitate aliquam sibi laudem adsciscant, ut potius suam quisque patriam propriae utilitatis fama nobiliter.

## §. II.

Ut vero in ipso dissertationis vestibulo proprius inspiciamus fontis nostri origines, scire interest, terram fonti non modo proximam, sed etiam undique circumiectam, pinguiorem pra se ferre habitum & colorem ostendere ex rufso flavescentem, quam si martiali substantia, quæ fontis nostri robur ac nervus est, prima elementa dare existimem, à vero abire mihi non videor. Hoc ex solo pars aliqua in jugum leniter montosum assurgit, quod in mediocrem descendit fossam, ubi fons noster lœto fulmine in apertam venam sese explicat. Ipsa ejus ostia concretione lutea ochreacea subinde incrusted conspiciuntur, quæ croci martialis speciem mira similitudine exprimit. Simile glomeramen terreum investit canalis parietes, per cuius alveum defluentes aquæ in subjectum labrum distillant, in cuius fundo pariter post aliquot hec domum decurrium tale spissamentum colligitur. Qua in re fontes nostri convenient cum aliis aquis mineralibus, quæ elemento martiali virriolico instructæ sunt. Sic aquæ Schwabacenses ductus, per quos feruntur, coagulo obducunt luteo, quod nihil aliud esse, quam ferrum, in subtilissimum pollen tenuatum, inquirentium sagacitate compertum est.

Idem

Idem observare licet in fontibus, martiali principio dotatis, qui Schleusingæ, Weissenburgi, Freyenwaldæ ac Radebergæ ex non dissimili solo seaturiunt. Quod quidem phænomenon quemadmodum non adeo difficile explicatum habet, ita ratione in ejus obviam illis esse arbitror, quos naturalium rerum noritia non plane desituit. Quum enim ruderiores partes terræ ac metallicæ aquarum, quibus innatam gravitatem longe majori pondere superent, utique non fieri potest, quin ipsis in receptaculis, quibus salutaris humor ad communem uulnus asservatur, propinquiori coitu ad fundum descendant, quoniam talibus in vasis motus ille, qui recta via progrederitur, & graviores has partes in aquarum interstitiis æqualiter sustinet, sensim paulatimque elanguefcit, ac tandem prorsus suspenditur. In ductibus vero aquarum coalefcunt hæc partes, dum forti allis in canarium latera proprius ad se invicem coguntur, suaque arctiori cohærentia graviores sunt, unde ex intermediis lymphæ sinibus, quos antea sparsim ac digeste incolebant, prompte excidunt, sive que vehiculi relinquunt consortium.

Cujus indolis sit illa materia, qua in canalibus & vasis, quibus fons noster excipitur, sese conspiendam præbet, ea de re dicendi infra opportunior erit occasio, ubi interiori ejus naturam variis experimentis eruere & explorare instituam. Illud potius hoc loco non prætermittendum putavi, quod ipsa hæc fontis ejectamenta vim ejus medicinalem, antea parum cognitam adeoque neglectam, manifesto & oculos feriente indicio prodidicint. Nam quum incoleæ coagmentum illud terreum cernerent, non fallaci augurio conjectari cœperunt, vim quandam peculiarem his in fontibus esse reconditam. Quum autem ple-

rosque omnes fugeret genuina hujus aquæ indoles, neque alii accederent, qui ejus naturam interpretari deductasque ab hac facultates planius potuissent perspicere, omnino non mirum est, quod magnum ante defluxcrit temporis spatum, quam præstantissimæ fontis virtutes ad publicam cognitionem pervenerint. Forte fortuna autem accidit, ut ante viginti annos & quod excurrit, Illustris Dn. PRÆSES Lauchstadium se conferret ad invisendum quæstorem, qui cum hunc ipsi fontem commonstrareret, simule que de aquæ natura cupidissime efflagitaret ejus sententiam, ille protinus ex sapore vitriolico istoque egestu ochreo hariolari coepit, dominari in his aquis martiale principium, & liquida divinatione prædictum, hunc fontem in tardis ac diuturnis passionibus non vulgare auxilium promittere. Cui judicio, sub manu & quasi ex tempore nato, quum multa experimenta chymica æque ac practica uberiorem fidem adstruerent, salutarem hujus fontis usum multis graviter laborantibus de meliori commendare non dubitavit. Evidem esse quosdam accipio, qui inventionis gloriam assignent aliis, qui forsan has aquas, tanquam canis nilum, degustarunt, vel perfunctoria quadam exploratione minerale ipsis adscriperunt elementum, tenuissima saltem auditu cula respersi de præclaris illarum virtutibus. Sed quum ea laus jure quodam prope modum singulati demum illi tribuenda sit, qui effectricem hujus fontis materiam primus cum cura inspexit ejusque usum demonstravit illustris, adulatio notam me subire non autumo, si illustri Dn. PRÆSIDI hanc, quæcunque est, gloriam vindicem. Quod ut faciam confidentius, ea me quoque inducit ratio, quoniam Illustris Dn. PRÆSES multis ægrotantibus ad aquas has intus hauriendas primus au-  
tor

ctor svasorque extitit, quum antea hunc fontem tantummodo ad externum usum translatum suisse intelligam. Ex illo autem tempore magis magisq; cluxit atq; exsplenduit fontis nostri efficacia, ejusque fama, ab exiguis deducta initiis, procedente ætate eo excravit, ut multos atque in his etiam genere vel dignitate præstantes homines ad salutandas has aquas invitaverit. Nec futurum dubito, ut progredientibus annis ad celebranda hæc fontinalia homines copiosius confluant, si modo illi, quibus cura fontis commissa est, saluberrimos ejus effectus observatius velint animadvertere.

## §. IV.

Admissi sumus ad fontis nostri incunabula vidimusque natalis soli ingenium, unde velut a capite arcessendæ sunt ejus origines. Sequitur jam, ut diligentissima investigatione evolvamus ipsa fontis elementa, quorum cognitione ad abditæ virtutis perspicientiam deducimur. Cui labore, si omnes officii partes explere vélim, eo minus me supercedere posse intelligo, quum genuina hujus fontis principia, in quorum tamen enodatione instituti mei cardo veretur, nondum satis videam perducta ad liquidum, eaque vel penitus intacta & intractata ab aliis, vel extremis faltem liseamentis adumbrata inveniam. Ac principio quidem nostram in se contemplationem aqua convertit, cuius sinu, quæ reliqua est, pars medicamentosa comprehenditur. Hæc pro eo, ac sensuum judicio constat, limpidissima est canque ostendit perspicuitatem, quam in purissimis & optimæ notæ aquis requirimus. Illud quidem commune habet cum aliis, ut si instilletur ipsi tartari oleum, quod per deliquum parari solet, protinus turbetur faciemque per lucidam exuat, secedentibus ad fundum flocculis ex albo

flaventibus, quos tenuissima martialis ochræ ramenta esse, luculenter infra commonstrabitur. Nec tamen inde lateo colore tingitur, quod quidem in plerisque fontanis, quæ multis inquinamentis atque impuritatibus calcariisca- tent, animadvertisimus. Quando autem aquis nostris admi- seetur argenti solutio, nihil præceps fertur, sed nativam clari- tam integrum & illibatam retinent. Quod insigni do- cumento est, eas non fovere partes salinas, neque comple- xu suo suscepisse terram calcariam, qua vulgares aquas corrumpi ac defodari conspicimus. Atque hac dote fons noster multis aliis præstat aquis mineralibus, qua insuper non cedit vicinis fontibus, martiali robore animatis, qui circa Bebram, Schleusingam & Radecbergam nitidissi- mo splendore emicant. His non umbram, neque caliginem inducit adjecta lunæ solutio, sed omnem potius impurita- tis suspicionem amovet ab ipsis sinceri atque imperturba- ti coloris constantia.

## §. V.

Quem autem fugit, in reliquis dotibus, a quibus aquæ laudari possunt, puritatem esse præcipuam, qua aliæ ante cellulæ, & quæ ipsos etiam fontes, medica quadam virtute pretiosos, peculiari salubritatis nota insigniat. E- jusmodi enim puriores aquæ non solum exp. dito itinere per angustissimos corporis nostri canales commeant, laxatiisque obstructionum repagulis liberiorem sanguinis iterum ac redditum adjuvant, sed crudosetiam & male coctos humores melius diluunt, iisque intersertas salinas acies per ex- cernentium vasorum emissaria quodam quasi everriculo eliminant. Ex quo perspicitur, ipsam puritatem vim insi- tam acuere fontium mineralium, eamque illis conciliare habitudinem, ut virtutem suam melius explicare eamque in

in pepitissimos viscerum recessus possint transfundere.  
Porro non dubitandum est, quin saepius laudata puritas il-  
led quoque fonti nostro emolumendum afficerat, ut aquas  
eius imbibendis hauriendisque ex terræ gremio particulis  
terreis martialibus singulariter reddat idoneas. Quum  
enim talibus in aquis multa pateant interjecta spatiola,  
que inquiliinis materiis vacant, possint utique commo-  
dis hospitiis excipere, quam ex terræ interaneis clam-  
bunt, scobem metallicam, eamque firmiori nexu sibi ad-  
stringere præ aliis, in quibus spatiorum interordinia mole-  
culis salinis vel terreo calcariis stipata sunt. Haec gravio-  
ribus partibus metallicis non præbent aditum earumque  
conjunctionem cum aqua intercipiunt, cum sere in mo-  
dum, quo tartari oleum fonti nostro affusum partes ejus  
martiales ac terreas, raptas ex aqua amplexu, ad fundum  
precipitat. Hinc constans docet observatio, minerales  
aqua, quæ virtutem suam ad intus reconditum sal alca-  
linum vel medium reserunt, aut copiam terra calcariae con-  
tinent, rarissime sibi intermixtas habere graviores partes  
metallicas, cuius rei præclaro argumento sunt aqua Selte-  
rana, Carolina, Dunsticinenses aliaeque, in quibus vel me-  
rum sal alcali vel ex acido & alcalino coalitum abundat,  
nullum vero metallicæ ejusdam portionis appetat vesti-  
gium. Ex adverso Lauchstadienses aquæ nec terram calcifi-  
formem ostendunt, nec salinum media naturæ produnt ele-  
mentum, quale identidem nulla arte elicatur ex Bebranis,  
Freyenwaldensibus, ac denique iis, quas in tractu Dres-  
densi prope Radebergam ex terra martiali salire accipio.  
Nec puto me a vero defletere, si ipsam terram, cui  
fons noster internascitur, eo multum conferre existimem,  
ut aquæ illius sese particulis martialibus plenius uberius-

que ingurgitent, quum nullus ibi reperiatur lapis calcarius, qui excluso rudiori ochræ inherentis principio interlabentibus aquis sese insinuet.

## §. VI.

Quam modo in fonte nostro laudaví puritatem, huic dos altera eaque electissima proxime adjungenda est, quam singularis & exquisitiō levitas ipsi conciliat. Hujus explorandæ eti rationes multiplices variaque adminicula physices experimentalis cultura nobis suppeditet, in quibus Sturmii instrumentum hydrometricum & Verulamii evaporatio laudem ferunt præcipuam: tamen, quum his modis ipsi levitatis gradus non adeo exacte definiri, neque ad oculum demonstrari possint, huic instituto longe accommodatius mihi videtur instrumentum illud staticum, ex aurichalco conflatum, ad quod fabricandum illustris PRÆSES DR. Leopoldo, celebri apud Lipsientes mechanico, primus autor ac monstrator fuit, & quo ipse jam inde a pluribus annis in exigen-  
do liquidorum pondere, succedente sub manu negotio, usus est. Hac igitur lance jamjam superiori anno libravimus Lauchstadiensem aquam, quam domum deportandam curavimus, & oculorum fide nobis compertum est, illam supremo margine usque ad primum instrumenti gradum descendere. Quo manifestatur incredibilis ejus levitas, quæ tanta est, ut ipsam quoque pluvialem aquam supereret, quum hæc ipsa secundum instrumenti gradum attingere soleat. Atque hac dote fons noster multis aliis, quos virtus quædam medicinalis in famam dedit, præfrendus est. Horum plerique id habent, ut pluvialem aquam pondere exæquent, vel proxime ad eam accedant, quam rāmen Lauchstadiensibus aquis levitate inferiorem animadvertisimus. Adjice, quod fons noster etiam Pyrmontanæ aquæ levitatem, qua plu-

pluribus aliis superior est, excedat, quippe in qua laudatum instrumentum staticum usque ad tertium gradum demergitur.

## S. VII.

Ex hac singulari levitate, quam accuratior ponderatio ante oculos ponit, fonti nostro non translatitia enascitur commendatio, quæ in saluberrimis aquis locum ipsi spectabilem tribuit. Est enim trita vetustate omniumque medicorum suffragiis robusta opinio, leviiores aquas integratati corporis nostri conservandæ patrocinari mirifice, casque salubritatis laude antecellere aliis, quæ gravitate laborant, suoque pondere ostendunt, multas in ipsis hospitari partes peregrinas ac rejectitas, quæ sinceram aquarum bonitatem adulterant. Talis enim ponderosior aqua non nisi tarde & cunctanter per vasa volvit, neque tam facile ad extrebas venarum angustias pertingit, quæ quidem levior, quæ non solum secundo flumine per omnes corporis canales decurrat, succos vitales intime perluit, lentoque humores eliquat, sed etiam ad ipsa viscerum penetralia provehitur, ubi inertes & impactos humores attenuat, solutosque cum reliquis purgamentis per ductuum excernentium ostia prompte everrit. Quod quemadmodum inter omnes constat atque ipsius experientia assensum habet; ita memoratu dignum videtur, haud parum multos esse ex spectatae virtutis fontibus, quibus sola aquarum levitas vim quandam medicatricem conciliat. Nobili exemplo sunt fontes Piperani, quibus natura favor Rhetiam beavit. His nullum inest minerale elementum, sed aquam fundunt meram & simplicem, quæ ex nive, in altissimorum montium jugis liquefacta, intra subterraneos meatus fatis copioso confluxu colligitur, eandem que cum pluviali rore levitatem obtinet. Quis autem necit,

scit, quanta sit eorum in tantis morbis efficacia, quæ utique ab insigni quadam levitate proficiuntur. Neque in gloriæ aut illaudata sunt, quas Hassia sovet, aquæ Schlangenbadenses, ab omni minerali contagio immunes, cæterum pari pondere cum aquis cœlestibus, quæ tamen exigua tenuitate multis in morbis operam ferunt valde præstabilem. Insuper Wisbadenes aquæ, identidem levissimæ, comprehendunt quidem salis communis momentum, illud vero tam exiguum est, ut nisi in auxilium arcessas levitatem, non habeas, unde præclaras earum virtutes facile explices. Neque aliunde potissimum facultatis partem trahunt saepius commemorati fontes Bebrani & Radebergenses; qua enim imbuti sunt ochra martiali vitriolica, ea omnino tanti non est, ut sibi relicta sele in tam insignes effectus diffundere possit. Quod mecum reputare mihi videor à vero non declinare, si quandam partem efficacie, quam in fonte nostro admiramus, ipsi aquarum levitati tribuendam esse existimem, quod tamen tam modice sentio, ut vim illius potiorem martiali principio, quo præaliis abundat, minime derrahamb.

## §. VIII.

Si ab aqua bonitate discedimus, maximam laudem fonti nostro tenerat, qui iam nostram ad se contemplationem vocat, tenuissimus quidam spiritus æthereo elasticus, qui alterum nobilissimumque ejus elementum constituit. Hic quemadmodum omnium sere aquarum mineralium pars d. libatissima & quasi anima est, qui ipsis virtutem illam inspirat mirabilem, & unde speciarissimi eorum effigies emanant; ita etiam affluens & locuples ejus materia fontem nostrum nobilitat. Non difficile aut operosum est ejus presentiam cognoscere; ipso enim odore sele in-

sensus inficit, dum blando halitu nares ferit, more aliarum aquarum mineralium, quæ hujus spiritus plenitate instructæ sunt. Longe tamen manifestius in conspectum venit, si prope ipsam fontis scaturiginem aqua puro & pellicente vitro excipitur, tunc enim copiose ascendunt bulæ, quæ marginem vitri investiunt, atque in superficie collectius confident. Sunt haec nihil aliud, quam subtilissimæ partes æthereæ volatiles, quarum expansionem quum initior aeris atmosphærici compressus cohibere non poscit, protinus sese ex aquæ vinculis, quibus irretiuntur, expedire atque extum affectare incipiunt. Hinc est, quod quando haec aqua in vitro clauso fortiori agitatione conquassatur, vehementer spumeat, remotoque obturaculo tenuissimum quandam exspirat halitum. Tali enim quassatu incoleans elementum æthereum in celerrimum motum abripitur & partes aquæ explicantur in vesiculas, quarum coitus spumam efformat, quæ vesiculis cessante motu concidentibus evanescit. Porro tenuissimum illum spiritum æthereum, quo fons noster afflatus est, exinde licet colligere, quoniam aquæ ejus, quando copiosius ingurgitantur, quandam capiti gravitatem inducent sapientisque somnum conciliant. Quod sane haud obscurum præbet indicium, has aquas vaporoso quodam spiritu tenerrima capit is vasa paulo amplius diducere, quorum distensione cerebrum quodammodo comprimitur, unde non solum gravitas sentitur in capite, sed etiam aliqua nascitur ad somnum inclinatio. Præterea spiritu sum hoc elementum luculentius ex eo manifestatur, quod fons noster vel intensissimo frigore non congelat, reliquis aquis, quibus Lauchstadiense solum rigatur, leviori gelu concrecentibus. Nam inquilini hujus spiritus abundantia fortiori intestino motu aquas fluidas conservat, suo-

C

que,

que, quo valet, elatere impedit, quo minus incumbens frigoris gravitas subtiliores partes aero-aethereas extorqueat, quippe quibus expulsis aqua promptissime in glaciem condensatur. Eandem ob causam fons noster non tam facile corruptionem subit, dum hoc interfluum elementum aethereum omnem ab ipso avertit putredinem. Diu enim his aquis sua constat integriras, si in vasis probe clausis servantur, qua circumspectione illud efficitur, ut nec intus conclusum elementum elasticum sese aquis subducere, neque aer externus liberiori accessu quandam corruptionis labem inferre possit.

## §. IX.

Nobilissimus hic spiritus, quo fons noster plenissime abundat, aquis ejus, in se levissimis, quandam conciliare videtur gravitatem, quam supra laudatus hydrometer in apice ponit. Quando enim hic ipse in aqua à fonte recenti & spiritu aethereo turgida demergitur, eum ad tertiam lineam sursum ferri observamus. Supra autem dictum est, hanc aquam domum deportatam & sub coelo aperto tumente & elasticio illo spiritu orbata, primam signasse hujus instrumenti lineam, eoque singularem quandam levitatem ostendere. Ex quo perspicimus, aquæ pondus ad duos gradus decrescere, ubi mobilissima pars aetherea ab ipsis discesserit. Non dissimile phænomenon in conspectum venit, quando alias minerales aquas, tali spiritu aethereo redundantes, ad hanc lancem expendimus. Protinus enim major eis accedit levitas, si tenuissimum illud elementum in auras disjectum fuerit. Iam fore non dubito, quibus mirum videatur, quod subtilis hic aether aquas quodammodo

aggravet, quum tamen pro sua indole exquisitæ levitatis tamque mobilis naturæ sit, ut rapidissimo cursu ab aquis refugiat. Hi vero mirari desinent, si diligentius secum reputaverint, altiorem instrumenti ascensum, quem in recentibus aquis conspicimus, non proficiisci a singulari quādam insitū spiritus gravitate, sed potius ab insigni ejus elatere, qui apparentis hujus gravitatis auctor atque effector est. Hic enim, dum majus affectat spatiū atque in contrarium nīcitur, lanceam immihiā non profundius sinit descendere, sed sursum propellit: unde est, quod aqua quādam mentiatur gravitatem, quum tamen spiritus iste sua natura ac sibi relictus naturali ipsius levitati nihil detrahatur. Sublato autem hoc nīsu & cessante vi elastica instrumentum staticum priori statione dimovetur atque altius mergitur, unde aqua majorem p̄ se fert levitatem. Hinc autem recte colligitur, ex vario hujus instrumenti ascensiū vel descensiū male concludi ad pondus partium solidarum mineralium, quas hic vel ille sōis salutaris complectitur, adeoque lanceam hanc hydrometricam ad explorandam contentorum quantitatē minus esse idoneam. Nam diversa hujus instrumenti elevatio potissimum dependet ab intermixti spiritus abundantia, qui forti suo elatere quaquaversum se expandit, & lanceam ad superiora elevat. Quamobrem si justum aquarum pondus indagare velimus & copiam contentorum accuratius perspicere, expectare oportet, donec subtile illud elementum se aquis subduxerit. Caterum res digna notatione est, quod spiritus iste elasticus graviores quoque partes martiales ochreas fonti nostro sociabiles reddat, earumque unionem inscri-

guiter adjuvet. Quando enim is ipse subdiu exhalavit, brevi temporis spatio illa martialis terra specie flocculorum ex albo flaventium ad ima desertur, sive nique vehiculum deserit, quod quum non tam facile contingat in aquis nostris recentibus, luculenter apparet, generosum esse hunc spiritum, qui graviores illas sustentet partes, easque intra aquarum nexum contineat.

## §. X.

Nec vero simplex aut sibi relictum est subtile illud elementum aetherium, sed sibi adjunctum habet tenuissimum quandam spiritum mineralem vitriolicum, cum quo tam arcte coaluit, ut recedens ab aquarum societate hunc secum abripiat. Hoe elementum vitriolicum non modo sapore se prodit leniter constringente, sed etiam incurrit in oculos, quando gallarum pulvis fonti adsperritur, protinus enim colore saturate purpureo atque ad nigredinem inclinante inficitur. Quod utique indubitabile indicium est, fontem nostrum dotatum esse spiritu quodam vitriolico, quoniam omnia adstringentia id habent communem, ut mineralibus aquis, in quarum complexu aliquid vitrioli haeret, colorem ex atro purpureum inducant. *Esse* autem genus vitrioli tenuissimum ac multum volatile, ex eo abunde cognoscitur, quod celerrime in auras diffetur, quando aquis liberior aer adspirat, vel si igne ad motu calorem concipiunt. Atque tunc adstringente suo sapore nudantur, neque amplius admixto gallarum pulvere ex rufso nigrantem colorem recipiunt. Monendum tamen hoc loco est, fontem nostrum suam in mixtionem insuper admittere momentum salis fixioris vitriolici, quod

peccu-

peculiaris encheiresi elicitar, tam raro prorsus exemplo, ut simile quidpiam in reliquis fontibus, quibus volatilis spiritus vitriolicus inest, nullis vel quæsitissimis artificiis invenias. Nam ut Boyle confirmatus assertit in *Apparat. Brev. ad natural. Experim. aquar. min. histor.* ipsæ mineralis aquæ Londinenses non manifestum sovent fixum vitriolum, licet pluribus in locis marcasita vitriolica luxurient. Quia observatione error eorum perstringitur, qui plerisque fontibus mineralibus fixum & constantis naturæ vitriolum aspiciunt, in quibus tamen vix ejus umbram viderunt, licet in eruendo eo omnes sibi pene unguis admorderint. Non fugit me quidem, fontem Rad. bergensem, qui aliquot abhinc annis ad famam adspicere cœpit, in se reconditum habere sal quoddam fixum vitriolicum, cui potissimum hujus fontis virtutem adscribendam esse contendunt; sed quoniam hoc tam parce ipsi est insitum, ut integra aquæ libra vix tertiam grani partem de hoc sale vitriolico contineat, non video sane, quomodo aliquis insignis effectus ex eo promanare possit. vid. *Exc. Dn. Praesidis Med. Consult. Tom. 3. Dec. 4. cas. 3.* Atque ut dicam, quod res est, etiam fons noster eam non alit fixi vitrioli copiam, quæ adeo multum preflare possit; quocirca in eam sententiam facile adducor, ut vim ejus potiorem ad spiritum illum volatilium vitriolicum referendam esse existimem.

## §. XI.

Perquirentibus nobis veram indolem hujus elementi vitriolici, scire licet, illud esse martialis prosapia, id quod ipsa ejus generatio nobis plenissime persuadet. Terra nimirum, ubi fons salit, ferax est ochre martialis sulphureæ, cujus tenerrimas partes præterlabentes aquæ sorbent

& recto flumine secum afferunt. Jam si acidi sulphuris halitus, qui ex inferiori terrarum tractu sursum rapiuntur, ramentis ipsis martialibus per aquam dispersis se se associant, nascitur ex eorum connubio principium quoddam vitriolicum, eadem proflus ratione, qua spiritus acidos minerales ferro affusos parere vitriolum animadvertisimus. Quum autem vapores ipsis sulphurei indolis sint tenuissimæ atque insuper cum tenerioribus particulis martialibus, intercedente aquarum vinculo, cohæreant, quo firmior earum contactus impeditur, hinc enatum ex ipsis elementura vitriolicum parum constantis naturæ est, sed levissimam ob causam cum spiritu illo æthereo elastico, cui intime inheret, aquis elabitur. Quando tamen facile contingere potest, ut subtilissimus ille sulphuris vapor sese æctius conjungat cum rudioribus quibusdam ferri partibus, emergit inde fixum illud sal vitriolicum, cuius portionem aliquam in fonte nostro deprehendimus. Ex quo consequitur, subtile hoc elementum vitriolicum, quum soboles martis sit, corpori nostro ex reliqua metallorum familia amicissimum, fontem nostrum non infensa quadam qualitate imbuere, neque ab eo metuendam esse istam malignatatem, quam illud minatur, quod a venere originem duxit. Hoc enim vim suam virulentam statim naufea & vomitu ostendit, quibus tamen symptomatis fons noster non facile infestus est, cuius rei diuturnior usus constans testimonium perhibet.

### §. XII.

Quum igitur fons noster adeo abundet spiritu isto universali æthereo, qui cum tenui & versatili naturæ elemento vitrilico conjunctissime copulatus est, omnino nondum

dubitandum videtur, quin ab eo exiniā quandam medendi facultatem accipiat. Est enim hoc efficax & generosum illud principium, quod plorosque fontes minerales summa agendi potentia instruit, iisque ad expugnandam rebellium morborum obstinationem vim maximam fenerat. Hoc nimur solida & rudiora aquarum mineralium contenta in venas omnes diducit, hoc fibris motricibus rubor addit & reciprocum sanguinis meatum egregie promovet, dumque tenuitate sua per ultimas vasorum angustias venae cluctatur, non solum stagnantes humores elidit visceribus, sed etiam elateris sui adhuc ocelusa emundatoria reserat, ut congesta intus faburra corpus exonerent. Imo delicatissimus hic spiritus præcipua causa est, quod nulla vel excogitatissima arte vulgares aquas ita aptare possumus, ut mineralibus præstantia virtutis ex toto respondant. Etsi enim non adeo difficile sit, elementis istis solidioribus maximeque salinis illas imbuere, id quod non solum *Frisimelica*, *Paulus Sorbatus*, *Heerius* aliquique celebres medici cum laude tentarunt, sed etiam Exc. Dn. PRÆSES curiosa inventione feliciter præstitit; horum tamen admixtione ad excellentem illam mineralium efficaciam non eveniuntur. Pulchre hoc iam sua aetate intellexit diligentissimus ille naturæ spectator *Verulamus*, licet veram rei rationem ignoraverit, dum *Liber. 4. de Augm. Scient.* hunc in modum scribit: *Nemo est adhuc inventus, qui per artem thermas naturales & fontes medicinales imitari annis suscitavit, cum tamen in confessio sit, thermas illas & fontes virtutes suas ex venis, per quas permeant, nascisci. Quia naturalis aquarum tinctura si ad artificiosas commixtiones reduci posset, fuerit in potestate hominis & plura majora, prout*

, prout usus postulet, efficere, & temperamentum ipsorum  
 , pro arbitrio regere: hanc tamen partem de imitatione na-  
 , turæ in balneis artificialibus deidicari censemus. Quam-  
 obrem sub usu fontis nostri cautio adhibenda est, ut ne te-  
 nuissima aura spiritus istius mineralis interflui ab aquis se-  
 cessum faciat, quod levi negotio evitari potest, si aquæ pro-  
 pe ipsam fontis scatram potentur, vel in vasis super-  
 posito operculo munitis curatissime custodiuntur.

## §. XIII.

Progedior ad tertium fontis nostri elementum, quod terra est illa lutea bolaris sive ochrea, quæ non solum aquæ ductum & fundum ipsius labri, unde aquæ hauriuntur, re-  
 naciore crusta obducit, sed etiam in valis, quibus aquæ ser-  
 vantur, specie flocculorum ex albo flaventium ad ima de-  
 mittitur. Huic terræ verum martis crocum esse implica-  
 tum, qui ab artificialis similitudine non abludat, sequenti-  
 bus experimentis curiose nobis cognitum & exploratum est.  
 Primum enim quando aquæ recentibus ovum injecimus,  
 brevi interfecto temporis intervallo naturalis martis cro-  
 cus sese ipsi agglutinavit, ejusque cortex per omnem sui  
 ambitum flavo colore tinctus est. Deinde unam unciam  
 illius ochræ, ex aquæ ductu depromptæ, atque in tenuissi-  
 mum pollen contrita aqua communi assula studiose elui-  
 mus, & separatis partibus ejus tenerioribus relictam vidimus  
 terram rudiorem, arenosam, insolubilem, quæ ad lanceum  
 exacta drachmæ dimidiz pondus habuit. Postea partem  
 ochræ tenuiorem, aqua abstracta, in sartagine argillacea,  
 lenissimo igne subiecto, siccamus, ubi clapo horæ qua-  
 drante sensim paulatimque colore in obscure rufescensem  
 induit. Tum hanc ipsam in crucibulo calcinavimus, ubi  
 in-

intensius rubore caput, atque in crocum conversa est. Porro dimidia pars hujus croci, iterum in crucibulo igni commissa, sale ammoniaco admixto, se in flores elegantissimos explicuit, qui duos scrupulos pondere æquabant. His floribus affuso spiritu vini purissimo, obtinuimus egregiam rincturam martialem, quam in roborando ventriculo tollendisque febribus intermittentibus aliquoties admodum efficacem deprehendimus. Denique nobis animadversum est, naturalem hunc martis crocum, aqua vulgari admixtum, saporem ipsi conciliare vitriolicum, linguam leviter stringentem, & colorem inducere atramentosum, qui tamen non diu insidet, sed brevi delectur, quando martiales particulae gradatim descendere ad fundum incipiunt.

## §. XIV.

Hæc, puto, experimenta planum ac testatum faciunt, fontem nostrum imbutum esse tenerima quadam martialis croci rubigine, cui subtilissimum martis sulphur adhaerescit, quod non solum flavus ille color, quo ovum aquis injectum tingitur atque etiam indusia in balneis imbuuntur, sed etiam pulcherrimi flores, qui sale ammoniaco admixto sublimes feruntur, luculenter demonstrant. De ultimo autem experimento illud notandum est, quod aqua vulgaris, croco isto imprægnata, non tam præclaram facultatem concipiat, ut fonti nostro æquiparari vel in ejus locum pro usu medico commode vel circa sperati effectus frustrationem surrogari possit. Quod quemadmodum ipsius experientia suffragium habet, ita has fere ob causas fieri arbitror, primo quoniam communis aqua exsors est nobilissimi illius spiritus ætherei vitriolici, cuius in fonte nostro tam prompta est diffusio; deinde quod ipse ignis, ille omnium corporum destructor, nativam hujus croci texturam quo-

D

dam-

dammodo immutat, maximeque tenuissimum illud sulphur ipsi subtrahit. Quo discimus, perditum esse operam, qui hunc crocum, vel alium quendam arte paratum, ad conficiendas ejusmodi aquas martiales transferre velit. Nam commemorabile est, naturam in producendis ejusmodi aquis martialibus tam singulare adhibere ingenium, ut hoc in opere extra omnem artis imitationem posita videatur. Non defuerunt quidem, qui in talibus ferratis aquis, artis opera elaborandis, laudabili studio desudarunt, quos inter primum locum tenet *Platerus*, qui limatura martis cum aceto albo & aquis mixta id ipsum praestare annilus est. *vid. Libr. 3. Observat. p. 572.* Celebres etiam sunt acidulae martiales *Meraldii*, quarum compositionem enarrat *Ewerb. Rothius in Med. Portat. p. 21.* *Vid. etiam Rolsincius Dissert. chem. VI. cap. 7. it. Ettmullerus Chem. Rational. Experiment Libr. I.c. II.* Neque ignotum est, quosdam huic rei accommodasse mineram martis solarem Hassiacam, quod maxime docet *Ioh. Thile in Dissert. de Miner. Mart. solar. acidular. artificial. mater. §. 14.* Et quis denique nescit vulgarem modum, quo ferratae aquæ per ferri extinctionem parati solent, quales iam *Plinii temporibus in morborum auxiliis fuerunt*, *vid. ejus Hist. Nat. Lib. 26. c. 7. Libr. 28. c. 16. libr. 34. c. 15. de quarum usu apud Hildanum in Observat. Chirurg. p. 679. it. 967.* prolixe disputatur. Sed tamen omnes hæ aquæ, quarum singulis per me suum stet pretium, quoconque etiam modo confecta fuerint, tantum omnino non valent, ut vim naturalium emulenter, quum occultam illam mixtionem, quam in natura conservit, ars imitari plane nesciat. Ut adeo recte & ex vero sentiat *Seneca*, quando *Libr. 3. Quesit. Nat. cap. 4. etiam sub terra minus nota nobis esse jura nature, non minus tamen certa existimat.* Cæterum hoc ipso arguitur decumanus

manus error *Fallopis*, qui omnes minerales aquas martialis elementi penitus expertes esse statuit, quæ insulsa opinio, utpote jejunis & frigidis rationibus superstructa, quemadmodum jam autoris atate sibilo excepta est, ita hodieque, non secus ac *Harvicanum* commentum de inerti & invalida fontium mineralium facultate, jure meritoque exploditur.

## §. XV.

Sunt hæc vera ac genuina fontis nostri elementa, præter quæ vix ullum aliud studio quamlibet contentissimum invenias. Non nescio quidem, esse aliquos, qui ad amplissimam extollendamque fontis virtutem operatrices ejus materias cumulent, ipsique cuprum, nitrum & alumen attribuant. Quis vero ab ejusmodi opinione precaria, quæ nulla stat solida ratione, neque convenientibus experimentis fulta est, suum assensum non cohibeat. Non potest enim non dubia ac sublesta esse eorum fides, qui se tale quid reperisse jaçtant, nisi ipsa experimenta judicio exponant intelligentium, qui talēm sententiam non populari approbatione metiri, sed ipsis rerum ponderibus ac momentis librare solent. Mihi sane, ingenue fateor, esse tam beato non licuit, ut eruere ac denudare potuisse ista principia, etsi omnibus vestigiis rem indagaverim. Aliquem igitur requiro Oedipum, qui hanc mihi sphingem solvat, eumque magnum putabo Apollinem, qui ista præcipue mineralia in aperto ponere, meisque oculis subjicere poterit. Pariter a vero abhorret eorum opinio, qui fontem nostrum, habito ingredientium respectu, Carolinis thermis cognatum & affinem putant, à quibus tamen non levi discrimine disfidet. Nam illæ duplicitis elementi salini participes sunt, quorum alterum indolem alcalinam obtinet, alterum vero inter acidum & alcali ambigit, vel medium quasi tempera-

D 2

men-

mentum sequitur. Horum vero talium tons noster sterilis & inops est, quem tamen defectum naturæ benignitas martialis ochrae ubertate compensavit.

§. XVI.

Excusis, qua fieri potuit exploratione, fontis nostri elementis, instituti mei ratio flagitat, ut ad exponendam eorum operationem me conferam. Ac de saluberrima quidem aquarum indole, quam puritas levitasque ipsi conciliant, suo loco satis, opinor, explicate dictum est. Exposui etiam, quantum res exigere visa est, præstantem efficaciam spiritus illius ætherei atque elasticæ, quo natura fontem nostrum largissime impertivit. Reliquum igitur est, ut cogitationes meas præcipue desigam in expendendo elemento terreo martiali vitriolico, cuius plenitudine fons noster aliis aquis martialibus palmam eripit. Hujus abundantia ipsi conciliat egregiam roborandi, aperiendi & absorbendi facultatem, caque similes ac plane geminos effectus promittit, qui expectari possunt ab aliis remediiis martialibus, quorum laudabilis operatio potissimum his tribus modis absolvitur. Quod enim vim roborantem attinet, ea tam communis medicorum concentu, quam annuentis experientæ calculo, martialibus adscribitur, nec nisi ab illis vocatur in dubium, qui hujus generis remedia nunquam impenderunt artis operibus, vel veram eorum naturam minus perspectam habent. Ferrum scilicet præter mercurialem substantiam, cuius quasi fundamento metallorum contextus initior, & implicitum sal vitriolicum principio constat terrestri ac sulphureo, quod humidum forbendo & fibras leniter stringendo efficit, ut partes fibroæ propriæ ad se invicem coeant, & arctiori contactu duriores & compactiores reddantur. Quaratione dum fibrarum elater intenduntur,

tur, majorem vim acquirunt se se contrahendi, adeoque plus valent ad propellendos humores, quorum expeditior cursus sub fibra debili & laxa partium coherentia segnescit ac retardatur. Quum igitur fons noster copiam insignem alat hujusmodi terrae martialis sulphureæ, quæ, quoniam teneroris texturæ atque in levissima aqua soluta est, solidas corporis partes magis afficit, profecto non dubitandum est, quin eximiam quandam roborandi facultatem obtineat. Atque hanc ipsam roborandi potentiam illi manifesto persentient, qui integra etiam valetudine has aquas intramodum hauriunt. Ventriculo enim ac venis conceptæ interpositis aliquot horis cupiditatem ciborum augent, arterias ad cerebriorem fortiorcunque pulsum stimulant, faciem vivido colore perfundunt, totiusque corporis robur ac vigorem instaurant.

### §. XVII.

Nec vero metuendum est, ne virtus haec roborans, quæ ab ochra illa martiali provenit & corporis integratitudine mirifice patrocinatur, in noxiā vim constringentem degeneret. Habent quidem hoc, quæ ex marte parantur, remedia, ut sepius adstringentem effectum, corpori raro præstabilem, nec facile nisi sub necessitatibus lenocinio expetendum, excerrant. Quod fieri consuevit, quando ferrum ignem experitur, qui tenuissimum sulphur evocat, ac teneriorem terram alealinam destruit inque calcem convertit, vel quando ipsi admiscerunt liquores acidū, quorum connubio in vitriolum transformatur, cuius operatio valde suspecta eit. Sed longe alia ratio est illius martialis principii, quo natura fontem nostrum donavit. Huic nulla ignis tortura innatum illud excussum sulphur, neque in calcem adusus subtiliores ejus partes terreas, adeoque texturam, quæ naturæ

D 3

provi-

providentia ipsi obtigit, salvam & incolunem retinet, nec facile illud detrimentum affert, quo alia martialia, nisi circumspeta adhibeantur, corpus in disserimen solent adducere. Ac licet etiam intra primarum viarum regionem ipsi occurrat humor acidus, cuius coniunctione vitriol naturam induere posset, tamen adversus constringentes effectus ab aquarum copia magnum habet praesidium. Haec enim fibras molliendo diluendoque partes terreas martiales vitriolicas impediunt, quo minus productum illud vitriolicum nocentissimum fibris rigorem ac duritiem inducat. Præterea in auxilium venit spiritus ille æthereus elasticus, qui particulas vitriolicas nullibi sinit fibris firmiter adhaerescere, neque illas diu in corpore commorari patitur, sed motu suo intestino ac stimulante illas fortiter propellit & cum aquarum vehiculo prompte eliminat.

## §. XIX.

Si aperiendi facultatem dispicimus, ea duplice ratione fons noster perfungitur. Est primo tenuissimum & volatile illud sal vitriolicum, quod cum elemento æthereo amabili junctura se copulavit. Hoc una cum aquis ipsas venas ingreditur, ubi non humores solum, qui earum alveo vehuntur, incidit, attenuat, ac fluidos reddit, ut expeditius per corporis meatus circumeat, sed etiam viarum fordes extergit, blandaque vellicatione tanquam calcaribus admissis fibras motrices exstimulat, ut præterlabentes succos fortiori oscillatione tundant ac verberent. Salino insuper irritamento canales excretionibus dicatos lacescit, coque perficit, ut alienos humores, qui spectant ad exitum, sine mora foras dimitrant. Deinde etiam aperiendi potentia fontem nostrum instruunt partes terreæ martiales, quæ fibras motuum opifices fulciunt, paribusque nervosis ac mem-

membranaceis eam firmitatem conciliant, ut vehementiori attritu lentoſ & flagnantे humores concurtere, ac diluentis aquæ adjuvamento netas hinc inde obſtructions reſerare poſſint. Quam ad rem multum conſeit hujus terra mar‐tialis viſ absorbendi, qua invertit ac deſtruit infenſum illud acidum, quod partim humores ſpiffando liberum eorum progreſſum cohibet, partim ſolida immodeſcē ſtringendo non ſolum alvum contrahit, ſed reliquias etiam, qua ad ſanita‐tem faciunt, excretiones ſuſſlaminat. Eſt autem pro di‐verfa corporum natura & habitudine alia ſubinde atque al‐lia operatio, quam ſons noſter ſua aperiendi virtute praſtat. Quibusdam alvum dueit, aliis urinofum movet laticem, in nonnullis etiam, accedente imprimis motu & calore, eutis meatus pandit, & halituſam ejus efflationem adjuvat.

## §. XIX.

Jam in prono & proclivi eſt judicare, fontem noſtrum praecipue a natura dicatum eſſe morbis chronicis, quorum ſapientia eſt pertinacia, ut aliis remediorum generibus fruſtra & in cassum adhibitis ad martialia tanquam ad ſacram anchoram confugiendum ſit recteque dixerit *Loffius Co-fil. lib. I. p. 3.* talibus ferreis ægritudinibus ferreis litandum eſſe praefidiis. Videmus nimirum fontem noſtrum talibus elementis instructum, qua ad cauſas longarum paſſionum evelandas & extirpandas quam maxime valent. Nam in confeſſo eſt, plerosque ex iis morbis, qui lenis adoleſcent incrementis & laborantes diuius trahunt, ſuos natales & origines ducere ab insigni quadam partium ſolidarum vaſorumque moventium debilitate, aut infenſis partium, qua exquifeſt ſentient motusque vitales gubernant, ſtricturis, vel ab infarctu & obſtructione viſcerum, vel denique ab impeditis excretionibus, qua ſinceram humo‐rum

rum indolum deturpant iisque siccum & squalorem inducunt. Iam quoniam fons noster eximia quadam roborandi, aperiendi & absorbendi facultate pollet, in facili est intelligere, eum tardis & longinquis passionibus, tam mitigandis, quam elidendis, singulariter esse accommodatum. Quamobrem non puto me facturum aliquid a proposito nostro alienum, si breviter & summatim exponam has agititudines, ut etiam alii, quos artis cognitio destituit, amplissimum fontis usum accurius perpiciant.

§. XX.

Igitur robore, quo valer, principio fons noster operari pollicetur non proletariam in ventriculi & intestinorum morbis, qui ex depresso eorum robore nascentur, quorum numero accenseri debent languens appetentia, lenta ac difficilis ciborum confection, molesta ventris inflatio, quæ postoris angulliam & præcordiorum anxietatem comitem habet, vomitus a viscida colluvie ortus, lienteria, varia ventris profluvia, nimiaque alvi dejectiones, quas levitas intestinorum committit. Deinde succurrunt viscerum debilitati indeque oriundas passiones protelat, maximeque ut ro prospicit, varias ejus fluxiones cohibet, aliaque via profligat, quæ a tono uteri destructo foveantur, ideoque eam sterilitatem tollit, cuius causa in nimia uteri laxitate residet. Convenit porro morbis spasmoidicis, qui partibus nervosis ac membranaceis incumbunt; hinc in malo hypochondriaco, passione hysterica variisque doloribus non contemnendum assert auxilium. Insuper spasmos soliendo solidaque roborando conductit sebribus, quæ habent circuitum, quarum exacerbationes egregie cohibet. Tum etiam catarrhos resiccat, frigidos tumores discutit, lenti ac desidis humoris decubitus dissipat, membra luxata

ta

ta atque in sedem suam reposita firmat, & quæ succedere  
solent, juncturarum tumefactiones avertit. Solatur deni-  
que tremulos, & quibus sensum ac motum abstulit nervorum  
resolutio; juvat denique partes contractas ac tetano rigentes,  
quibus potentiam movendi restituit.

## §. XXI.

Neque in levi habenda est efficacia, quam fons no-  
ster vi sua aperiente & abstergente pollicetur. Hac mul-  
tum opitulatur obstrutis visceribus eamque ob rationem  
in magnis lienis, affectibus hepaticis, ictero, cachexia,  
chlorosi, incipiente hydropisi, pituitoso pectoris infaretu,  
insigni cum fructu adhiberi potest. Eodem nomine com-  
mendari debet in suppresso fluxu menstruo & hæmorrhoi-  
dali, quorum convenientem successum mirifice adjuvat.  
Pariter praesidio est morbis, ut vocant, tartareis, & quo-  
rum causa sanguinis & humorum impuritatibus imputari  
solet, veluti sunt malum arthriticum, podagricum, ischia-  
dicum, calculus, renum & vesicæ vitia, aliaeque affectiones,  
quæ a scorbuto cognomen habent, vel depravata sanguinis  
mixtione nutriuntur. Hinc etiam cutis sordes ac defoeda-  
tiones extergit, eamque a subtus insidente acrimonia ex-  
sam & erosam consolidat, unde in scabie, impetagine, nimio  
rubore & maculis in facie efflorescentibus operam commo-  
dat valde praestabilem. Quin solo externo usuad ulcera an-  
tiqua & sordida repurganda ac glutinanda plurimum confert.

## §. XXII.

Etsi autem ea, quæ de nobilissimis fontis nostri virtu-  
tibus usque ejus ad multiplices morbos accommodo jam  
expolui, eum in modum comparata sunt, ut apud eos, qui

E

artis

artis peritiam habent, facile fidem inveniant; his enim insita fonti principia salutares ejus effectus levi negotio persuadere possunt: tamen quasi ex specula prævideo, fore permultos, forsitan etiam quosdam ex ipsis mendibus, qui flagitant, ut ad eorum fidem firmandam ipsa rerum testimonia in medium proferam. Et profecto ipsem intelligo, necessarium hic fore, ut integras morborum enarrationes traiderem, quarum ministerio pulcherrima fontis effecta liquidius perspicere atque in publica luce collocari possent. Enimvero si tale quid instituere, ac per singula ire exempla vellem, verendum esset, ne hoc opusculum eam in mollem exiret, quæ a solenni dissertationis forma plane ab�aderet. Puto tamen, posse ad stabiendi mihi fidem sufficere, si sancte & bona fide affirmavero, me abunde instratum esse morborum historiis effectuumque observationibus, quas mihi impertiverunt autores fide dignissimi, & quorum plurimum valere debet autoritas. In his primo loco mihi nominandus est illustris DN. PRÆSES, sagacissimus mineralium aquarum investigator, qui jam inde ab aliquot annis hujus fontis præsidio multis, afflictam valetudinem habentibus, recte consuluit. Deinde Excellentissimus Archiater Martisburgensis, STREIDELIUS, vir omni virtutum genere, a quibus commendari medicus potest, instructissimus ac diligens fontis nostri indagator, pro sua benevolentia aliquot insignia mecum communicavit morborum exempla, cui vel solo hoc nomine singulariter me obstrictum profiteor, neque ullam tanta humanitatis demerenda occasione prætermittam. Sunt insuper in promptu venerando parente meo de fontis virtute annotationes, nec paucorum

rum

rum manibus versantur, quas beate desinētus REINECCUS, cui superiori tempore cura fontis commissa erat, brevi schediasmate comprehensas in publicum emisit, quibus utique plurimum inest ad persuadendum, quoniam a juratis autoribus defluxerunt. Denique ipsem et, quod praescine dixerim, ex variis agrotantibus, ad quorum sanitatem aliquid ex fontis usu emolumentum redundavit, multa cognovi, quorum candor me induxit, ut supra commendatas virtutes fonti nostro adscribere non dubitarem.

## §. XXIII.

Posteaquam mihi fidem praestruxi, non abs re fore existimo, si pressa & compendiosa commemoratione persequar potiores morbos, in quibus praestantissimam fontis nostri efficaciam ipsa eaque multiplex experientia comprobavit. Haec tenus ergo compertum est, eum ingens attulisse praesidium valetudinariis, quos solutionis stomachi querela habuerunt sollicitos, vel qui ex collapsu hebescens natura robe re corpus traxerunt causarium. His non solum pristinam reddidit firmitatem, sed etiam teste gliscentes morbos primis statim in herbis jugulando, imminentem periculo eos eripuit. Unice etiam illos juvit, quos discessus sanguinis per ani venas cohibitus ad languorem dedit, nec defuit auxiliu latione foemini, a fluxu menstruo defectis, vel lunare tributum male ad calculum solventibus. Utrisque consuetas has sanguinis emanationes revocavit, & disturbata earum rationem in ordinem rededit. Imo plurimum valuit in plerisque uteri morbis aliisque affectibus, qui ex matris debilitate & perverso menstruae purgationis successu pullulare, variisque incommodis molliorem sexum affligere

tolent. Si autem ullo in morbo, certe in doloribus colicis, scorbuticis & arthriticis operam incomparabilem praeslit. Qua de re non solum aliquot notioribus exemplis me certiorem fecit Excellentissimus & nunquam sine laude appellandus STREIDELIUS, sed venit mihi etiam, quod salem in transcurso attingo, hoc loco in mentem illustrissimus quidam aula Brandenburgicae minister, qui sepius arthritide vaga scorbutica tentatus, aliquot abhinc annis consilio venerandi parentis mei fontis usum sibi adhibuit, & generoso candore fassus est, se tantum in eo invenisse praesidium, quantum ab aliis, quorum bene multos salutaverat, non reportaverit. Fuerunt non pauci, quibus intermitentes sebres prompte discussit, aliaque detraxit incommoda, que festinata illarum suppressio solet relinquere. Praeter haec fortiter se geslit in profiliando malo corporis habitu & solenni ista literatorum cruce, malo hypochondriaco, ad quod propulsandum ipse quibusdam fontis usum cum notabili fructu suasi, qui studiorum intemperantia hanc sibi passionem contraxerant. Neque de nihilo est, quam vel solo externo usu in oculorum morbis efficaciam ostendit. Egregie etiam profuit in scabie, tam secca, quam humida, in rubore & pustulis faciei aliisque affectibus, qui ex pravi humoris allaplu ad superficiem corporis generantur. Longe autem eminentior ejus operatio specata est in discutiendis tumoribus, in roborandis partibus luxatis, immobilibus ac tetano comprehensis, & persanandis ulceribus, in quibus utique vim suam incredibilem pleneque mirificam ipsis hominum oculis luculenter exposuit. Quamobrem fururum spero, ut etiam in pluribus aliis morbis, quorum antea mentionem injeci, valida fontis no-

atri

fieri virtus eluceat, si modo, quod rei caput est, recte & ordine adhibetur ejusque effecta curatius annotentur.

## §. XXIV.

Superest, ut ipsum exhibendi modum attingam, qui tam internus, quam externus est, potationi nimirum, balneo, semicupio, infusui, pediluvio, lotioni, embrocationi ac stillicidio destinatus, quamvis duas posteriores species haec tenuis non adeo usitatas sive intelligam. Commodissime cura fuscipitur iis temporibus, quae nec frigore, nec calore modum excedunt, suaque temperie prosperum cura successum secundant, puta illud anni spatium, quod inter Majum adultum & initium dierum canicularium interpositum est; nihil tamen impedit, quo minus, si res exigat, ineunte etiam autumno adhiberi possit. Tempus dieitam potationi, quam balneo maxime opportunum est matutinum, quoniam omnes aquae minerales vacuo ac feriente ventriculo & celerius & efficacius operantur. Sunt tamen horae etiam postmeridianae balneo non alienae, si necessitas usum ejus repetitum imperet, cum eo tamen, ut non nisi peracta ciborum digestione diuctoque in venas chylo celebretur. In difficiili autem est, exactius definire aquarum copiam, quae sub usu fontis haurienda sunt. Etsi enim quartuor vel sex libras optatos effectus prolicere animadversum est, haec tamen in universum ac perpetuum non valent, quoniam diversa & multiplex habitudo corporum ac dissidens morborum genus nunc majorem, nunc minorem aquarum copiam desiderant. Neque temporis spatium, quod usui impendendum venit, generatim satis apposite designare licet; quibusdam octo vel decem dies sufficiunt, in aliis vero cura

E 3

per

per duas vel tres septimanas, imo ultra produci debet. Quam obrem, ut ea, quæ circa exhibendi modum summatim moneri possunt, in pauca conferam, medicus solidiori doctrina & experientia instructus requiritur, qui usum disponat, curam gubernet, copiamque aquarum & frequentiam balnei ad corporum temperaturam, morborum indolem & symptomatum rationem prudenter & circumspecte restringat, ac denique per omnia ægrotantibus consulat, qui si neglecto ejus consilio curam temere instituunt, Andabatarum more cum morbis pugnant, nec nisi valentis naturæ adjuvamento vel velificantis fortunæ beneficio cum adversa valedicione in gratiam redeunt. Fore tamen consultum puto, si generales quasdam præceptiones hoc loco subjiciam, quas presece ac diligenter sequi oportet, qui dextrum curationis successum expetunt.

### §. XXV.

De usu igitur interno hæc tenenda ac servanda sunt:

- I. Curiose providendum est, ut ante, quam potionem instituamus, prima corporis regio blando laxante expurgetur, præfertim in iis, quorum intestina tenacis & viscidi humoris sentina scatent, quæ liberum aquarum transitum cohiben-  
do, salutarem earum operationem non modo remoratur, sed varia etiam incommoda assert. Neque alienum est, si res postulet corporisque conditio ferat, stomachum sollicitare leni emetico, ut collecta intus saburra exturbetur.
- II. In corporibus succo & sanguine farris, & virium super-  
pondio pollutibus venam incidere expedit, ut superfluens eximatur sanguinis plenitudo, quæ roboranti & aperienti fontis facultati obluctatur.
- III. Überior aquarum copia pro-

propinari potest robustis corporibus, quibus firmior est fibra-  
rum contextus & quæ vasa capaciora obtinent : minor iis  
idonea est, qua vasa angusta & fibras teneriores, admodum  
mobiles & exquisitius sentientes habent, & in quibus nervo-  
rum res publica spasmis folennibus conturbatur. IV. Tu-  
tius est, sub initio aquam parcus haurire, deinde largius,  
ac tandem, curatione prope finem adducta, in copiam magis  
accusat desinere. V. Quando per octo vel decem dies  
potationi indulsumus, remedium, quod alvum ducat, inter-  
ponendum est, ut intus restagnantes aquæ cum pituita resolu-  
ta sordibusque ad intestina derivatis corpori subtrahantur.  
Tum vero dilpicendum est, an morbi indoles & agrotan-  
tis dispositio usum fontis suspendere, finire vel longius ex-  
trahere suadeat. VI. Conveniens victus ratio habenda est,  
servandæque, quas medicus imperat, leges diateticæ, qua-  
rum neglectus ipsem de cura conceptam frustratur, aque  
utilissima fontis effecta destruit. Corpus insuper decenti mo-  
tu exercendum, qui fontis operationem unice juvat, nec  
facile invitantis somni blandimentis obedendum, qui capi-  
ti adversatur, sæpius febres intermittentes excitat, aliaque  
relinquit incommoda. VII. Subvenire oportet ventriculo  
in dicamentis roborantibus & balsamicis, & præter hæc in  
auxilium vocare remedia, quæ singulis morbis apprime di-  
cata sunt, fontisque operationem ad speciales effectus di-  
rigunt. IX. Non medicum terrere debent, neque labo-  
rantes ab instituto abalienare, quæ fontem primo tentantes  
sæpius infestare confuerunt symptomata, ut fere sunt sub-  
versio ventriculi, nausea, ventris inflatio, dolor præcordio-  
rum, intestinorum fluctuatio, capitis gravitas, somnolentia,

vel

vel pedum tumores, qui sapienter procedente cura suboriri solent. Hæc omnia enim ægros deserunt, ubi aquæ viam sibi patefecerint suamque operationem conspectius exerere incipient. Si tamen ista incommoda ægrum diutius trahant, ita ut continuata potatio suspecta videatur, ab usu eius abstinere præstat, quam valetudinem dare in aleam, & ægrotum in discrimen adducere.

### §. XXVI.

Placet insuper utilissimas quasdam cautions subjicere, ut rectius perspiciatur, quibus & qua ratione fons noster minus conveniat. I. Frigida potatio non satis tuta est infirmis, ætate provectionibus, qui stomachum solutiorem, tumensque ac spongiosum corporis habitum obtinent, vel modo ex præcedente morbo convaluerunt. His omne frigus est nocentissimum, ideoque aquas moderate calefactas haurire præstat. II. Eadem parum recte commendatur in morbis spasmodicis, & ubi partes nervosæ ac membranaceæ in præternaturales contractiones sollicitantur, immoderatis alvi profluviis nimiisque sanguinis per uterinæ vel sedales venas rejectionibus, vel solenni ejus exitu cohibito, variis doloribus, membris contractis motuque orbatis, aliisque præterea passionibus, quæ ab impedita transpiratione proveniunt. III. Nunquam cum bonis ægri rebus propinuant aquæ sub ipsis morborum paroxysmis, motuum exacerbatione, spasmorum dolorumque levitatem: tunc enim non solum augentur anxieties variaque succedunt incommoda, sed ipsa etiam fontis operatio ob constricta emunctoria impeditur. IV. Circumspectior usus requiritur in fæcioribus, choletericis, & quibus durior & compresſa alvus natura obtigit: nocen-

nocentissimus vero est heclicis, phthisicis, atrophicis, asth-  
maticis, & quibus ex pulmonibus convulsis spiritus ægræ ser-  
tur: male etiam a vulgo adhibetur in morbis acutis exan-  
thematicis iisque temporibus, in quaæ convictæ sanguinis  
fluxiones incident. V. Nihil valet in confirmatis inve-  
teratisque viscerum obstructionibus, scirhis, induratio-  
nibus, neque partium rigores tollit, qui inciderunt in vetu-  
stem.

## S. XXVII.

Quod usum externum attinet, illum sequentibus mo-  
nitis comprehendere vîsum est: I. In iis morbis, quo-  
rum causa altius inhæret visceribus, balnei usus potatio-  
ni postponendus est, siue hæc suspecta videatur, mitio-  
rem quandam mineralè aquam subrogare licet. II. Bal-  
neum utilissime adhibetur in iis affectibus, qui partes ex-  
ternas obsident; juvat tamen ac sepe tutius est potatio-  
nem præmittere, præsertim in malis subinde recrudelcenti-  
bus, & quorum causa ipsiæ visceribus infixæ est, vel si quis  
ab usu aliarum aquarum mineralium per occasionis des-  
titutum aut inopiam prohibetur. III. Qui solo balneo uti vo-  
lunt, eorum corpora identidem sanguinis missione & alvi  
ductione præparanda sunt. IV. Fugiendus est nimius bal-  
nei calor, qui anxietates, cordis palpitationes ac vertigines  
facile excitat, sæpiusque febres accedit. V. Post usum bal-  
nei cavere oportet, ne frigidior aura adspiret corpori, quod  
integumentis curiose velandum est, ac tum expedit aliquam-  
diu in lecto reçubare & calidam sorbere, ut sudor vel transpi-  
ratio promoveatur. VI. Pediluvia pedum languores ac tu-  
mores egregie disentere, tolamque frigidam lotionem in affe-  
cti-


F

ati-

Eibus oculorum & curis descedationibus insigni praesidio esse  
multorum experimenta comprobarunt.

§. XXIX.

Tantum est, quod impræsentiarum pro temporis lo-  
cique angustia de fonte hoc medicato commentari placuit.  
Non defuissest quidem occasio, ea, quæ proposui, passim  
varis illustrandi adnotamentis, ut iis etiam, qui oculos erudi-  
tos habent, satisfacere potuissim: sed quoniam prodes-  
se, quam eruditionem quandam ostendere malui, illud mi-  
hi indixi temperamentum, ut Neoptolemi more paucis  
philosophandum omnesque ambages declinandas putarem.  
Erit tamen forsitan & illud tempus, quo uberiori expe-  
rientialia de fontis nostri virtute instructus, hæc ipsa secun-  
dis cogitationibus retractanda ac perpolienda suscipiam,  
iisque selectiores subtexam observationes, quas jam indi-  
gestas saltemque per lanceam saturam collectas habeo. Cæ-  
terum quoniam hic labor meus inter alios etiam ac præci-  
pue medentes respicit, placet jam ipsi coronidem imponere  
universali quidem, saluberrimo tamen præcepto Savanarole:  
Medicus bonus & prudens oculos mentis diligenter appo-  
nere debet, antequam infirmis de transitu ad fontes &  
balnea consulat.



NOBILISSIMO ET CLARISSIMO

DN. CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

**D**uo in primis sunt, quæ ad excolendum persicendumq; artis nostræ salutiferæ studium maxime necessaria & singulariter commendanda videntur, observatio nimirum & meditatio. Nam diligens & affida ea- rum, quæ in uiroque statu corporis obveniunt, obseruatio artem nostram non solum peperit, sed etiam per temporum processus maioribus educavit incrementis tandemque ad illud fastigium evexit, in quo ipsam nostra ætate positam spectamus. Imo exquista observatio tantum valet, ut ejus fundamento solida theoria superstrui debeat. Meditatio vero ipsas morborum & symptomatum causas eruit, remediorum vires & convenientem applicationem docet, bonum a malo distinguit, scilicet & inuile rejicit, ac denique omnes medicorum lites rectissime dirimit. Hinc qui bene didicis meditari & quo plus judicio valet medicus, eo aptior ad medendum est. Ad comparandam vero judicandi facultatem multum conferunt mathebos & philosophie naturalis stu- dia, que mentem accidunt, atque ad abstractas rerum causas per- spiciendas compendijsam viam aperiunt. Quamobrem bene sibi illos consulere puto, qui antequam ad artis nostræ sacra accedunt, istis scientiis aximum imbunt. Quæ cum iam vera sint, quam quæ verissima, tam vero haec ipsa, Clarissime Dn. Candidate, iuuo e- tiam

tiam exemplo egregie comprobas. Non illotis, quod ajunt, manibus  
medicinae aggressus es, sed iis instrutus praefidiis, quorum ope  
ad interiorem artis notitiam prove. imur. Nam præter eleganti-  
ores literas, quas jam inde a prima ætate in deliciis habuisti, etiam  
in mathesi, philosophia experimentali, cultiori chymia & anato-  
mia laudabilem peruersi operam, atque ipsis in disciplinis solidam  
cognitionem consequitus es. Deinde summa animi contentione te  
contulisti ad percipiendam rationalis medicinae doctrinam ac ductu  
meo mature tentasti artis opera, eorumq; perpetuo exercitio eam tibi  
comparasti facultatem, ut utilia ab inutilibus feligere, methodum  
medendi defendere, aliis etiam applicare, & optimo successu ægrotan-  
tibus consulere posueris. Ad hæc omnia admodum docile & fru-  
giferum ingenium, indefessa industria & singularis discendi cupi-  
ditas multum tibi adjumentum attulerunt. Non igitur videris mibi  
cruda studia propellere in forum medicum, sed potius ea profers,  
que diurna observatione adjuvam pervenienti maturitatem, in-  
terque continuos artis labores felicibus adoleverunt incrementis.  
Quamobrem non prosum non tibi ex animo gratulari de decurso vi-  
tae academicæ studio, de honoribus jam dudum promeritis ac præ-  
sentis specimine, quod ipsi met, raro admodum exemplo, recte elabora-  
rasi, certoque spero, te amplam illam, ad quam vocatus es, functi-  
onem summa cum laude esse ornatum. Gratulor etiam Am-  
plissimo Domino Parenti, amico meo veteri mibique multorum  
annorum usu & suavissima consuerudine conjunctissimo, de duobus  
filii medicis, quos ipse tanquam genuinos artis filios complector,  
qui paternum decus propagant atque amplificant & se-  
cunda famæ benignitate ægrotantium saluti invigilant. Fazit  
Deus, ut porro fortunam in omnibus tuis conatibus fauricem  
invenias, quod tibi omnibus votis ac toto ex animo appreco. Scrib. d. X. Maj. M DCC XXIII.





**ULB Halle**

001 618 954


3



sb







2723,9.3

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**FONTIBUS  
MEDICATIS  
LAVCHSTADIENSIBVS,**  
*QUAM*  
DIVINI NUMINIS AUSPICIS,  
IN ILLUSTRI FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO,**  
COLLEGII MEDICI SENIORE ET h. t.  
DECANO,  
**PRO DOCTORIS GRADU**  
*Ad d. XII. Maj. Ann. MDCCXXIII*  
PUBLICÆ MEDITATIONI EXPONET  
*AUCTOR RESPONDENS,*  
**CHRISTIANUS AUGUSTUS  
LICHENHAHN,**  
MED. DUCAL. SAXON. DESIGNAT. ET PHYSIC.  
SORRIC. AC BITTERFELDENS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
ypis JOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typ.